Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36492
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

de ecclesia recessisse. omnium habere gloriam in partu et in utero et in conceptu
si multos genuerint filios quos dominus comminatur etiam si enutriti fuerint. pu
niendos. et puniendos non ab alio quolibet. sed ab ipso domino. quando filios
fornicationis generarint. et uerum illis sit ue. cum deus recesserit ab eis. simulque
replicat. qualis fuerit ephraim. quando inquit erat in ecclesia. inter scilicet
huius temptationes quasi tyrus maris fluctibus tundebatur. et tamen ni
hil aduersi poterat sustinere. quia habebat fundamentum christi. super
quod edificata domus euerti non potest. Nunc autem filios suos educere ad in
terfectorem. hoc est ad diabolum. Et pulchre dixit educere. id est de ecclesia facit
exire foras. Possumus filios ephraim cogitationes pessimas dicere. et con
traria dogmata ueritati. que interfecit dominus spiritu oris sui. et eos tales li
beros habere non patitur. sed eterno interitu derelinquit. Quod autem in lxx
legimus caro mea ex eis ephraim quomodo uidi in uenationem prebuit
filios suos. ita intelligimus. si christus caput est corporis. id est ecclesie omnes nos
christi et ecclesie menbra sumus. Qui ergo de ecclesia recesserit christi corpus la
cerat. Igitur ephraim caro fuit. et menbrum domini saluatoris. sed in uenati
onem prebuit filios suos. in uenationem autem eorum de quibus scriptum est.
anima nostra sicut passer erepta est de laqueo uenantium. Et eduxit
de ecclesia liberos suos ad occisionem siue ad uulnerandum. ut uulne
rentur ab his qui mittunt ardentes sagittas ut percutiant pariter et
excutiant. Da eis domine. Quid dabis eis. Da eis uuluam sine filiis et u
bera arentia. LXX similiter. Si his que deus per benedictione donauit
male abutamur. et in contrarium quam ab eo data sunt conuertantur
expedit ut auferantur a nobis. Denique lingua data est ad laudandum
dominum deum. et que bona sunt eloquenda si quis ea abutatur in blaspho
miam. contra hunc psalmista dominum deprecatur. muta fiant labia dolo
sa. que locuntur aduersus iustum iniquitatem in superbia et in abusione
et disperdat dominus uniuersa labia dolosa. linguam magniloquam. Quia
igitur ephraim gloriabatur in utero et in conceptu et partu et in populorum
multitudine propheta dominum deprecatur et dicit. da eis domine sibique ipse
respondit. quid dabis eis. et statim infertur. Da eis uuluam sterilem. et
ubera arentia. ne habeant causam superbie. et in quo sibi gloriari solent.
in eo confundantur. Quod et de magistris contrariorum dogmatum intel
ligi possit. perspicuum est. qui in populorum multitudine gloriantur
et in his liberis quos nutrierunt ad interitum ut educerent eos de ecclesia
et educerent ad interfectorem. Tot enim diabolus iugulat quot heretica uitia
genuerunt. De istiusmodi anima dicitur. beata sterilis inmaculata

et in alio
loco